



## II SEMINARIVM COLLEGII LATINITATIS

### FACTA ROMANORVM MEMORABILIA

#### RELATIO ORATIONVM

PRIMA PARS: 9:30 – 11:15

#### *Salutatio aditialis*

**Carles García Olmos:** «*Verba in Lucani Pharsalia notissima...ac memorabilia*».

Quo usque fama bellorum civilium ab Lucano tradita concreperit quantoque studio etiam homines recentiores his Romanis gestis eniterentur hac in oratiuncula indagabimus. Constat enim fuisse eruditos ad praeclara studia incumbentes qui quidem exempla hominum illustrium sibi aptarent quo maiorem vim suis inceptis incuterent. Rationem igitur harum argutiarum eiusque successum conferemus deque duobus versibus apud Pharsaliam notissimis disceptabimus.

**Michaël Angelus Athanasius Peralta:** «*Facta feminarum Romanarum memorabilia apud Valerium Maximum*». Rerum gestarum scriptores multa nobis narrant facta memoriā et laude digna virorum Romanorum. Quamquam ea facta primum locum obtinent apud auctores, exstant nihilominus multa alia egregia virtutis facinora a feminis patrata et non minus digna quae memorentur. Nam etiam facta insignia feminarum exempla virtutis evaserunt apud Romanos ad mores discipulorum formandos et ad orationes ornandas. Quoniam non pauca earum collegit et posteris tradidit Valerius Maximus, in animo est ergo primum breviter et summatim verba facere de vita et opere eius, deinde tria exempla memorabilia feminarum Romanarum auditoribus narrare.

**Ana Kuljeric Morales:** «*De Seneca: analogia inter mortem eius atque tragoediam Phaedram*». Mors Senecae exemplum est optimum doctrinae stoicae Romanae. Etenim, ut studiosissimus huius eruditionis propugnator, censebat

humanitatem secundum naturam vivendam esse. Ipse Seneca, maxima dignitate demoriens, quamquam procul a coniuratione Pisonis se tenebat, Neronis poenam sine questu accepit. Quae ratio vivendi (ac moriendi!) patet quoque in tragoedia *Phaedra* ab eo conscripta, ita ut inter utramque mortem Senecae at Phaedrae nexus sit, non in ipso interitu, sed in consilio naturae servandae ac dignitatis. Atque hoc est propositum huius oratiunculae: consilia et facta inter Senecam et illam *Phaedram* tragicam iuxta ponere, aestimare ac comparare, cum utriusque modus vitae agenda sit exemplar praxis stoicae Senecae optimum, cum sit denique hic modus vivendi inter Romanorum facta memorabilia numerandus.

**José Sánchez—Tarazaga Martínez: «'In hoc vinces'».** Anno 312 p.C.n exeunte exercitus imperatoris Maxentii et copiae imperatoris Constantini strenue dimicaverunt apud pontem Mulvium. Narratur autem paulo ante proelium Deus christianorum ipse, signum 'crismon' praebens, Constantino retulisse: 'in hoc vinces', ut denique contigit. Paucis post mensibus ipse Constantinus promulgavit notissimum edictum, quod vocatur, Mediolanense, ex quo cives Romani cultum christianum libere ac legitime colere potuerunt. Inceptum igitur huius acroasis est ex fontibus enucleatius dilucidare utrum facinus illud mirabile evenerit ita ut fertur atque id rescire, an illa victoria, Dei ope, fuerit causae praetextae imperatori ut veniam daret alienas religiones in toto Imperio colendi.

**INTERCAPEDO: 11:15-12**

**SECUNDA PARS: 12-14**

**Serena Shirley: «De consociatione Lupercal».** "Lupercal" constituitur tamquam grex ad studia Latina promovenda, cuius scopus praecipuus est eos Latinistas fovere ac in suis inceptis confirmare retinereque quibus et accessus et opportunitates necnon progressus in Latinitate sive in periculo fuerunt sive omnino non exstiterunt, propterea quod feminae fuerint aut trallaticis moribus non observaverint. Talia Lupercal impugnat mirabili alacritate.



**Kevin Prell Trevejo: «Incendium Romae apud auctores Romanos».** Ex anno 753 quo eam Romulus condidit, Roma passa est bella, pugnas, discordias aliasque calamitates ut incendia. Anno 64 post Christum natum ingens ignis Romam texit, Nerone imperatore, et periit in flammis. Fama est Neronem fidibus cecinisse dum flammae urbem exurebant. Quae facta Tacitus et Suetonius suis in operibus narrant et suspicantur ipsum imperatorem Romam inflammavisse.

**Rayco García Perdomo: «Scipionis amicitia et virtus».** Fuit re verā Scipio ille Africānus Minor memorabilis virtūtis et eis qui ipsius temporibus vixerunt et posteris omnibus usque ad aetātem nostram. Facultātes igitur eius et facta nobis praetermittenda non sunt et patent sane posteris cum sint inscripta memoriae in nonnullis operibus auctōrum Latinōrum, ut puta, in libro *De amicitia* illius Cicerōnis. Qui enim virtūtes Scipiōnis laudibus cumulat et de amicitiae cultu verba maximi momenti profert: est enimvero praecipua virtus amicitiam optimam colere exemplumque hominibus fiēri bonis.

#### *Oratio valedictoria*

**Daniel Pettersson: «Litterae per saecula sepultae».** Nemo est linguae Latinae studiosus quin Ciceronem, Horatium, Livium scriptores praeclarissimos legat. Quotus autem quisque extra pinacothecam maximorum ingeniorum egressus ad obscuriores antiquitatis scriptores se confert? Qui licet fortasse ad illos minoris iure aestimentur, tamen non ideo omnino spernendi. Qua re mihi proposui ut scriptori antiquo vel potius eius operi, quod miram originem multumque delectationis habet, lumen pro viribus afferrem, quo plures his iucundis scriptis frui possent.